

Radulphus Ardens ad Epistol. Dom. 2. post Pascha, Sec. 11.
Rupertus Tuitiensis de operibus Spiritus Sancti lib. 3. de Sa-
pient. cap. 2. Sec. 12. ut & *Bernbardus*, qui in eodem seculò
12. duos singulares Sermones de *tribus in cælò & in terrâ*
Testib9 conscripsit, qui extant in Operibus col. 139. Sermon.
in Oct. Paschat. idem testatur in parvis Sermonibus, Serm.
16. col. 438. pluresque alii. Neque verò opus est, ut
pluribus nunc de eadem re agamus. Occupavit nam-
que operam illam non sine laude, Vir Rev. dignitate & eru-
ditione non vulgari Clarissimus, M. CHRISTIANUS AN-
DREAS SIBERUS, Scandaviensis Misnicus, & hodie Ho-
hensteinensium animarum à Christò redemptarum Pastor
Vigilantissimus, SS. Theol. Candidatus egregius. Is cum
eruditionem & industriam suam nobis approbare vellet,
hoc sibi pensum datum esse putavit, ut Richardum Simonium,
uti par est, refutaret, & dicti illius auctoritatem Cano-
nicam vindicaret. Fecit illud in eruditâ & pulchrâ ora-
tione, simul & huic materiæ & præsentì tempori inservi-
ens. De cuius vitâ studiisque ut pro more afferamus non-
nulla, & institutum requirit, & rei dignitas postulat. Na-
tus is est Scandaviæ in Misniâ A. C. 1662. die 15. Novembris,
parentes nactus eos, de quibus gratulari sibi jure meritò
potest. Patrem enim habet Virum honore venerandò,
doctrinæ copiâ, meritorumque famâ celeberrimum, fa-
cundiâque amœnissimâ clarum, M. JUSTUM SIBERUM,
Ecclesiæ Scandaviensis Pastorem vigilantissimum. Ma-
ter ejus, foeminarum flos, CATHARINA, Pauli Zinckii,
Consulis Dresdensis Amplissimi, filia est. Cumque à Deò
eam nactus esset indolem, quæ ad recipiendas omnis gene-
ris doctrinas capax esset, nihil omisit Parens indulgentissi-
mus eorum, quæ ad ornandam eam pertinerent. Imburus
inde

Robt

inde